

Die Urkunden Lothars II., 4

(C.) In nomine omnipotentis dei et salvatoris nostri Iesu Christi. Hlotharius divina
praeveniente clementia rex. Si erga loca divinis cultibus m[ancipa]ta propter amorem dei
eiusque in eisdem locis sibi famulante[s ben]eficia oportuna largimur, praemium nobis
apud dominum aeternae remunerationis rependi non diffidimus. Idcirco notum sit omnium
fidelium nostrorum tam praesentium quam et futur[orum] sollertia, quia Bertoldus
venerabilis abba monasterium, quod nuncupatur Confluentis et est situm in pago
Helisacensi, constructum in honore sancti Gregorii reliquorumque sanctorum, detulit
optutibus nostris auctoritatem immunitatis avi et genitoris nostri Hlotharii piissimorum
imperatorum, in qua continebatur, quomodo ipsi et antecessores eorum reges scilicet
Francorum praefatum monasterium propter divinum amorem et tranquillitatem fratrum
ibidem deo famulantium semper sup ple[ni]ssima defensione et inmunitatis tuitio[n]e
habuissent. Verum tamer ob firmitatem rei praefatus abba postulavit clementiam nostram,
ut eandem auctoritatem ob amorem dei et reverentiam sancti Gregorii denuo
confirmaremus nostra auctoritate. Cuius sincerissime petitioni nostrum libenter praebentes
assensum hos eminentiae nostrarae apices fieri decrevimus, per quos confirmantes
decernimus omnimodisque sancimus, ut nullusb iudex publicus vel quislibet ex iudicaria
potestate in ecclesias aut loca vel agros seu reliquas possessiones memorati monasterii,
quas moderno tempore infra dicionem regni nostri iuste et rationabiliter possidet vel ea
quae deinceps in iure ipsius sancti loci voluerit divina pietas augeri, ad causas audiendas
vel freda aut tributa exigenda aut mansiones vel paratas faciendas aut fideiussores tollendos
aut homines ipsius monasterii tam ingenuos quam et servos super terram ipsius
commanentes iniuste distingendos nec ulla redibitiones aut inlicitas occasiones
requirendas nostris et futuris temporibus ingredi audeat vel ea quae supra memorata sunt
exigere praesumat; sed liceat memorato abbati suisque successoribus res praedicti
monasterii sub inmunitatis nostrarae defensione quieto ordine possidere. Et quicquid exinde
fiscus exigere poterat, totum nos pro aeterna remuneratione praefato monasterio
concedimus, ut in alimonia pauperum et stipendia servorum dei ibidem servientium
proficiat perennis temporibus in augmentis. Et quando quidem divina vocatione supra
dictus abba vel successores eius de hac luce migraverint, quandiu praedicta congregatio
inter se tales eligere potuerit, qui ceteros secundum regulam sancti Benedicti prodesse et
praeesse potuerit, per hanc nostram auctoritatem licentiam habeant inter se eligendi
abbatem, quatenus ipsos servos dei, qui ibidem deo militantur, pro nobis et coniuge
proleque nostra atque stabilitate totius regni nostri a deo nobis concessi domini
misericordiam iugiter exorare delectet. Et ut haec auctoritas nostris et futuris temporibus
domino protegente valeat inconvulta manere, manu propria subter firmavimus et anuli
nostrи impressione assignari iussimus. Signum (MF.) Hlotharii gloriosi regis. (C. NT.:
Rödmundus) Rödmundus notarius recognovi et (SR. NT.: Rödmundus notarius recognovi)
(SI.) Data id. febr. anno Christo propitio regni domni Hlotharii gloriosi regis I, inductione
III; actum Aquisgrani palatio regio; in dei nomine feliciter amen (NT. amen).